



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vetere Clerico, Monacho, Clerico-Monacho, Libri Tres**

Primus veterem habitum: Secundus conuictum ac disciplinam: Tertius honores ac priuilegia describit

De Clerici, Monachi Vetere Institvto. Liber Primvs - Distinctus in tres Partes. In quibus, praeter veterem eorum habitu[m], multa quoque inserta de veste veterum laicorum. Breuiterq[ue] explicata singulorum origo, & antiquitas.

**Landmeter, Laurentius**

**Lovanii, 1626**

Cap XVI. Color vestis monasticæ vt plurimùm niger: quam ob caussam. Habuit frequenter in aliqua sui parte Crucem purpuream. quæ à monachis etiam manu gestata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11007**

## CAPVT XVI.

*Color vestis monastica vt plurimum niger. quam ob causam. Habuit frequenter in aliqua sui parte Crucem purpuream. qua à monachis etiam manu gestata.*

**C**olor eius (sicut & Pallij monachalis) vt plurimum niger aut furuus. Ideò S. Athanasius Sanctimonialem instruens. *Indumentum tuum (inquit) fuscum sit. Aut, vt habet alia versio, pallium tuum nigrum sit, non tinctum sed nativi coloris. Eâ nimirum lanâ, de quâ Poeta,*

*pullo lugentes vellere lana.*

Contra huius coloris obtrectatores dixit S. Hieron. *Scandalisat quempiam vestis fuscior? Scandalisat & Iohannes qui camelorum vestitus tegmine zonâ pelliceâ cingebatur.*

Apud quem eundem Hieronymum B. Lea vestem fusciorẽ induta. Sicut apud B. Asterium S. Euphemia, adstabat coram Iudice, pullâ veste & pallio philosophiam professâ.

*Mart. in Apoph.*

*Ep. 23. ad Marcell.*

*Ep. 11.*

*In Concil. Niss. 2. act. 4.*

Ep. 199. *fessa*. Et reprehendit S. Augustinus Ecclesiam, quod relictâ veste matronali contra mariti voluntatem, fuscum monachorum habitum adsumpsisset. *Quod si (inquit) indumentum monacha delectabat, potius expediret coniugi obedire candidis moribus, quam nigellis vestibus repugnare.* Audiuius quoque superius, Manueli Comneno habitum monasticum postulanti, vestem spirituales *nigro panno* à ministris delatam. Et alia quædam pro hoc argumento in superioribus inseruimus, quando de colore vestis Clericalis. Et si quis plura desideret legat Epistolam Petri Cluniacensis ad S. Bernardum.

Lib. 4.  
ep. 16.  
Scholij  
ad loca  
S. Dyo.  
nisi sup.  
citata.

Rationem symbolicam, huius coloris docuit Pachymeres, *Hoc (inquit) significat nigra quâ induitur vestis, ut solitariè & unice, non dupliciter vel tripliciter vel multipliciter Monachus viuat. Alij enim colores facile mutantur ac in alios transeunt; & omnes quidem in nigrum mutari possunt: niger verò color, nullo vnquam modo in alium transmutari potest.*

Dixi,

Dixi, colorem vt plurimum fuisse nigrum. Alibi enim & quandoque variauit. Ac de Essæis (siquidem illi ijdem sunt cum Alexandrinis de quibus Philo) scripsit Iosep. *Squallorem decorem putant, dummodo in veste sint albâ.* De S. Fulgentio eius Acta, *Subtus casulam nigello vel lactineo pallio coopertus incessit.* Et S. Athanasius in Instructione virginis, *Indumentum tuum fuscum sit, aut saltem album amiculum fimbrijs careat.*

*De bello  
Iudaic.  
l. 2. c. 7.*

Obseruo præterea Monachos S. Pachomij apud Palladiū in cucullis gestasse Cruces purpureas: monachos verò Dorothei Abbatis in tunicâ signum purpureum. *Vt appareat, inquit Dorotheus, militare nos Christo, & quod tot gratiâ illius perferre debemus, quot ille causâ nostrî per tulit.* Atque vsque hodie S. Anthonius, vitæ monasticæ si non institutor, magnus propagator, pingitur in veste cui Crux adsuta est. Gestasseque monachos Græcos passim in veste Crucem, imo & Cruces vult Clariss. Lipsius, *Si rectè, inquit, Capi*

*In Lasc.  
sine c. 37*

*In Notis  
ad lib. 1.  
d. Cruce  
cap. 8.*

*Nicephorum Gregora . qui sic de Andronico Imperatore monacho nouello, supernè rubrum pratulit diuinae crucis signum, infernè nigrum. Duas diuersi coloris cruces videtur dicere. Ita ille ex quo addo, non tantum in veste, sed & manu Crucem tulisse. Testantur id ipsum S. Anthonij imagines. Atque huc vsque durat is mos apud monachos Aethiopas, siue Abyssinos, vt ex Damiano Gomez retulit Lipsius.*

## CAPVT XVII.

*Tunica veterum Monachorum frequenter pellicea.*

**F**Vit verò Tunica veteribus monachis frequenter pellicea, sæpius cilicina. Pellicea melotem vocarunt, licet enim melotes propriè ouillam pellem significet, per catachresim tamen ad cuiusuis animalis exuuium extenditur. Sunt tamen qui existiment ita vocatam ab animali quod meles vel melo nominatur. Ita docuit Isidorus